

um, exulta a multis inde annis Musae Lipsienses iure suo gloriantur. Atque hanc eximiam laudem ac praecipuam gloriam, a temporibus Mich. Henr. Gribneri,^{c)} Illustris Iurisconsultorum Ordinis quondam praefidis ordinarii, et fugientium e scholis iurisprudentiae humaniorum litterarum statoris felicissimi, maxime deriuandam, ac postea saluberrima Io. Matth. Gesneri,^{d)} et Io. Aug. Erne-

c) Gribnerus, primum in academia Wittebergensi antecessor, post sanctiori tabulario Dresdae praefectus, Lud. Menkenio, vitrico suo, datus est successor A. 1696. Cuius viri vere magni, et longiore vita digni memoriam Car. Ferd. Hommelius *Orat. inaug. de Ordinariis Facultatis Iuridicae Lipsiensis p. 41. seq. edit. II. Lips. 1767. 8.* celebravit hoc modo: *Gribnerus suo exemplo illam nimis rudem ac sordidam stolidioris turbae opinionem satis refutavit, iurisconsultum pragmaticum non posse litteratum esse. Vix enim in alio maior iuris, praesertim publici, aliarumque artium cognitio, vix acrior pulchri sensus. Nostis adhuc, et meministis bene, biblio-*

*thecam ab eo optimis et elegantioris potissimum litteraturae operibus cumulatissimam instructam fuisse, atque inde euenisse, ut ab his magistris, mortuis quidem, nec tamen mutis, quantum distent aera lupinis, addisceret, et diligens ingeniorum scrutator doctos, qui vere sunt, ab iis qui putantur, probe discerneret. Ceterum de hoc incomparabili iurisconsulto vide, praeter Car. Ott. Rechenbergii *Orationem parentalem Manibus Gribnerianis sacram Lips. 1735. fol.* Gottl. Aug. Ienichenii *Elogium Mich. Henr. Gribneri, in Contin. Notit. Auct. Iurid. Georg. Beyeri Lips. 1738. 8. p. 153. seqq.**

d) Gesnerus, 'ab Amplissimo huius urbis Senatu ad scholam Tho-

Tho-